

quidem lacus plurimos, qui si mari conferantur, parui sint omnes. Fluvios etiamsi sine lacibus longe plures, eis tamen etiam minores esse. Fontes vero et putei, ridicula res fient, Oceano comparati. Itaque mare, loci magnitudine, et aquarum copia, et molis immensitate, videtur inter aquas principatum obtinere. Sed et tertium aquarum genus, sese nunc offert. Omne illud scilicet, quod in subterraneis cavernis latet. Quas existimant, non solum ingentes replere speluncas: verum etiam fossoribus metallorum, curiosisque aliis, fluvii aquarum sub terra sunt audit, et interdum etiam visi. Accedit et Tartarus Platonis, inique nimium, ab Aristotele sugillatus. Hæ subterraneæ, acquæ, an et ipsæ falsæ sint, an vero dulces, an et alterius saporis, si compertum fuerit, vel alteri accendent parti, vel tertium genus per se constituent. Si ita evaserit, ut sint tres aquæ veluti primariæ partes, sic tria etiam genera: quod nam horum trium, aquæ dixerimus elementum? Si mare, cur non et onmnis dulcis superterranea aqua? Cur non et subterranea? Si secundam, cur non et prima et tertia? Si tertia, cur non et secunda, et prima? Si tota tria simul, quo modo tam diversa inter se genera, genus unum constituent? Sciunt logici, supremum substantiæ genus, supremum itidem quantitatis, in duo primum genera, esse divisa. Qualitatis vero genus in quatuor distingui. An vero potius, id enumeratio, et non diviso est? In re physica, cur logice argutamur? Aqua unum genus est. Hoc in superterraneum, et subterraneum duo prima genera dividatur. Primum rursus in duo alia, Mare, et dulces aquæ. Haec plures sunt. Et mare non est unum. Non ea ratione, qua Geographis est divisum, in Oceanum et Mediterraneum. Nam utrumque Oceanus unus est; siquidem Mediterranea maria omnia, Persicum, Eritreum, nostrum hoc in plura disceptum. Balticum, Botnicum, Livonicum, et si quæ talia alia sunt, proles sunt Oceani, et partes, intra terras per angustias influentis. At et maria tria alia novimus ab universalis separata. Galilæum, Mortum, Hircanum, quod tamen Plinius, et Dionisius Affer, tradiderunt, ab Oceano per apertum in Scythiam influi; et veteres Geographicæ mappæ, qualem nos unam habemus, id ostendunt; non aliter ac Orpheus antea, se per Meotin in Oceanum Argo ipsa transisse canit. Sed compertum postea est, Hyrcanum circum circa montibus clausum. Quod Scaliger, ex Strabone dividit. Sed hæc ad Geographiam magis pertinent, de qua suo loco. Totum ne ergo aquæ genus, tripliciter divisum, elementum aquæ erit, an tria erunt, aquæ clementa? Ita distinguamus. Elementum bifarium videtur dici, compositionis, quod iam docuimus, et misionis. Nam et ut est, totius universi pars earum una, quas integrales solent appellare, quales diximus nos, esse Empyreum, æthera, aerem. Quandoquidem et Aristoteles et Plato, cœlum universum elementi nomine aliquando significarunt. Et quales, nos cum aliis omnibus, aquam et terram esse dicimus elementa. Alio modo, quod philosophorum nemini est ignotum, elementum misionis dicitur elementum, dum scilicet in misto corpore conflando, suam ipsum priorem non retinet formam. Secundo modo, aquam elementum esse, sive ea dulcis, sive sit falsa, nullo videtur dubio laborare. At an et compositionis sit elementum, non est facile determinare. Difficultates enim eadem recurrent, cur hoc potius, quam illud? Aut cur tria tam diversa genera, unum faciant genus. Ne autem diu in hac haereamus quæstione, ita audebimus proferre. Omnem aquam, ubicumque ea sit, elementum aquæ totum constituere, non aliter ac Peripatetici dixerent, aerem in tres distingui regiones, infimam, medium, supremam et ante eos Chaldæi ætherem unum intres divisorum æthes, quorum alias supremus, alias medius, alias infimus nec non fuit. Quæ divisio etiam in aquam cedit, subterranea est infima. Mare medio loco, lacus plerique et flumina, supremo. Omnia namque flumina finem cursus sui, habent mare. Qua ratione, etiam Aristoteles dixit, Mare potius finem aquarum esse, quam principium. At cur dicat mare, non suo loco stare, sed loco aqua, vel nulla causa est, vel ea ridicula. Tantundem enim esset dicere, aeris medium regionem, non suum, sed aeris, nempe totius, locum occupare. Corpora hæc psincipalia, suis locis stant omnia. Empyreus suo, æther suo, aer suo, terra quoque suo. Superis, mediis inferisque partibus suis locis collocatis. Igitur et aqua, infima sub terra est, media mare est. Suprema fluvialis omnis, quæ ut e loco supero, in inferius tota se se exonerat. Mare ergo suum proprium a natura habet locum, neque alienum